



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 39. Calvinistarum copiæ in aciem dispositæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. non viginti duo Helvetiorum, & septem-  
A.C. 1562. decim Gallorum peditum signa unicum  
 octo belli tormentis: omnia tamen  
 hæc peditum agmina in quinque ma-  
 jora erant divisa.

## §. XXXIX.

*Instructa Calvinistarum acies.*

*Thuan. l. 6.*  
*La Popel.*  
*l. 8.*

Porro sequenti ordine incedebat Con-  
 dæi Principis exercitus. In primo  
 cornu, quod Maris Præfectus Colinius  
 ducebat, trecenti quinquaginta cata-  
 phracti equites erant, quatuor Germa-  
 norum equitum vexilla, sex Germano-  
 rum, & duo Gallorum peditum signa:  
 in acie autem quadringenti quinquaginta  
 equites cataphracti, sex equitum  
 Germanorum vexilla, sex Germanorum  
 duodecim Gallorum peditum signa re-  
 censebantur, quibus accesserant sex e-  
 quitum sclopetariorum vexilla, cum  
 levis armaturæ equites deessent, qui-  
 bus Guilielmus Cureus præerat: cum  
 igitur jamjam appropinquaret Prin-  
 cept Condæus, Andelotus, qui quarta  
 na laborans eo forte die accessione re-  
 currente vexabatur, e lectica, qua ve-  
 hebatur, vestem pellibus fartam indu-  
 tus equum conscendit, ut regii exer-  
 citus aciem contemplaretur, atque cer-  
 tius, an, nec ne illam aggredi tutum  
 foret, conspiceret, cum autem rem pe-  
 riculis

riculis plenam judicaret, auctor fuit, ut ipsi, si possent, certamen devitarent, & Treonum eo die peterent: ideo mox illuc missi castrorum metatores, & Condæus Princeps jam latus dextrum pandens, Treonum versus tendebat, cum Momorantius Connestabilis tormenta displodi jubet, quorum ictibus disjecti Sclopetarii equites in fugam effunduntur, & Germani equites accelerato gradu in proximam vallem servatis tamen ordinibus se recipiunt, ut ibidem magis tuti tormentorum impetum declinare possent.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

§. XL.

*Drociani prælii initium.*

Tum Condæus Princeps se ad prælii necessitatem compulsus cernens, resumpto pugnandi ardore primum cornu prætervehitur, ut in mediam hostis aciem irrumperet, moxque Arturo Vaudreo, Mojo, & Avareto, qui Gentio successerat, signum dederat, ut & ipsi cum suis agminibus Helvetiorum signa aggredierentur, quod etiam præstitere cum tanto impetu, ut solutis Helvetiorum ordinibus illos ab invicem se jungerent, ubi quoque Germani equites in fugientes effusi, magnam eorum stragem edidere, cum vero Damvilla Connestabilis filius, qui inter Helve-

Thuan. l. c.  
Dupleix hist.  
de France to.  
3. u. 8. p. 683  
Spond. hoc  
ann. n. 45.  
Mem. de  
Castelln. l. 4.  
c. 5. & 6.